

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8842

Auteur(s) : Robert Ier []

Auteur(s) : Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1191, 6 mai-1217, 8 septembre]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Robert III (ou Ier) d'Alençon, des donations faites à Perseigne par plusieurs membres de la famille d'Aillières.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° CCCVIII, p. 180-181.

Dissertation critique

Robert Ier succède au comte d'Alençon à son frère Jean II (mort le 6 mai 1171) et meurt le 8 septembre 1217.

Texte d'après a

Quoniam et demonis instinctu et hominis consensu a pertrenui fonte sapientie miserabiliter decidimus : in hanc lacrimarum et miserie vallem dejecti passionem oblivionis incurrimus. Nuperrime namque et noviter acta vix ad memoriam revocare valeamus. Necdum longe preterita dudumque remota memoriter teneremus. Verum nobis benignum et admirabile remedium divina providentia contribuit, ut per actiones quas eum alicuibus facimus litterarum diuturnitati mandaremus, ut quod delere poterat surripiens oblivio diligenter scripture servaretur armario. Igitur ego Robertus comes filius Johannis comitis filii Willelmi comitis Pontivi, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti presentibus et futuris notum volo fieri quod Odo de Alleriis filius Odonis de Alleriis consensu et voluntate uxoris sue Espervierie et filiorum suorum Willelmi primogeniti sui, Johannis, Hamerici, Odonis, filiarumque suarum Heremburgis et Margarite, consensu quoque et voluntate fratrum suorum Hamerici, Hugonis, Roberti et Gervasii dedit et concessit Deo et abbacie Sancte Marie de Persenia et fratribus ibidem Deo servientibus in perpetuam elemosinam, quietam, liberam ab omni consuetudine et terreno servitio et exactione seculari, totam terram illam que est inter vallem comitis et viam que dicitur Phaiel, que dividit nominatam terram a dominio Guidonis de Ambreiiis, sicut ipsa via Phaiel porrigitur ad viam de Nube usque ad locum vocatum Crucem defuncte Hersent. Et pro ipsa donatione habuit Odo de Alleriis filius Odonis de Alleriis de karitate abbacie de Persenia 15 l. cenomanensis monete et uxor ejus Espervie habuit 5 solidos andegavenses pro concessione, et filii ejus Willelmus et Johannes, Hamericus et Odo habuerunt pro concessione unusquisque pro se sex denarios cenomanenses et filie ejus Heremburgis et Margarita habuerunt pro concessione utraque pro se sex denarios cenomanenses et fratres Odonis habuerunt pro concessione Hamericus 3 solidos cenomanenses, Hugo 2, Robertus 2, Gervasius 12 denarios

cenomanenses. Hanc donationem et elemosinam quietam, liberam et absolutam ab omni consuetudine et terreno servitio et exactione seculari garantizabunt in perpetuum Odo de Alleriis et heres ejus, insuper et vallem comitis quem jure elemosine possidebant et diu possederant monachi de Persenia de dono et dominio Odonis de Alleriis patris Odonis de Alleriis. Porro Guido de Ambreriis de cujus feodo tota predicta terra erat et Gervasius filius ejus primogenitus nominatam donationem et elemosinam quietam, liberam et absolutam ab omni consuetudine et terreno servitio et seculari exactione abbacie Sancte Marie de Persenia concesserunt in perpetuum. Et habuit Guido de Ambreriis pro concessione de karitate ejusdem abbacie 20 solidos cenomanensis monete et Gervasius filius ejus primogenitus 5 solidos andegavenses — Sciendum preterea quod Odo de Alleriis pater Odonis de Alleriis vadens ad religionem apud sepedictam abbatiam de Persenia dedit eidem abbacie in liberam et perpetuam elemosinam, concessu et voluntate Odonis primogeniti sui et ceterorum filiorum suorum terram ad dimidium modium sementis, unam scilicet oscham ad tres minas sementis inter campos Hemarth juxta viam de Breteignoles et ad quatuor sexterietas et plenam minam sementis in feodo Braviart, inter medietariam auditionis monachorum de Tyrone et terram Gemellorum. Omnes supradictas donationes et elemosinam ad petitionem Odonis de Alleriis filii Odonis de Alleriis ego plegiavi et manucepi tuendas et conservandas abbacie Sancte Marie de Persenia. Si et Guido de Ambr. omnes ipsas donationes et elemosinam ad petitionem sepedicti Odonis de Alleriis filii Odonis de Alleriis plegiavit et manucepit ipse et heres ejus tuendas conservandas abbacie Sancte Marie de Persenia, ita quod nulli a monachis de Persenia a modo et usque in sempiternum terrenum servitium faciant sibi quietas, liberas et absolutas ab omni consuetudine et terreno servitio et exactione seculari, ut supra dictum est, possideant. Odo autem de Alleriis filius Odonis de Alleriis et heres ejus quod sepedicendum fuit ipsas donationes et elemosinas nulli terreno servitio obnoxias ut scripto huic commendatum est in perpetuum garantizabunt. Et ut res ipsa fidelius obtineatur et firmitus Odo de Alleriis et fratres ejus Hamericus scilicet, Hugo, Robertus, et Gervasius cuncta supradicta confirmaverunt in mea presentia, fidem corporaliter dantes quod nunquam in his fraude facerent, nec ab alio fieri tolerarent. Quod si Odo de Alleriis predictam elemosinam garantizare non poterit, tam ipse quam heres ejus de propria terra sua tantumdem tantumque valentem quantum illa valet quam in elemosina prius dederat in dominico suo dare in eschangia tenebitur monachis Sancte Marie de Persenia. Ut igitur firma et inconcussa permaneant que in hac pagina scripta sunt, pactionis hujus hi plegii mecum existunt : Odo de Clinampo, Alerius de Sancto Bertevin, Richardus de Milon, Garinus de Nulleio. Possidebunt itaque monachi abbacie Sancte Marie de Persenia jure perpetuo cunctas donationes et elemosinas in hac carta denominatas, ut confirmatum est absolute, libere et quiete ab omnibus servitiis terrenis exutas. Et ut vivaciter servetur in littera quod a fragilli possit elebi memoria ego Robertus comes presentem cartam sigillo meo munio et attestacione confirmo. Fuerunt et isti testes : Odo Cotinel, Herbertus de Oseio, Philippus de Randonao, Elinandus de Congeio, Gervasius de Courteilloles, Gaufridus de Nuilleio, Johannes de Montehodol, Thomas Carnifex, Fulcaudus Perier et plures alii.